



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Alteri è Cælitibus n. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

nem, & spes omnium confirmavit. Ita Par. 2. Hist. Societ. lib. 2. num. 78.

5. A CÆLITE Anonymo: Dum in Belgium Pseudo-Apostoli duodecim nauigarent, ut prauum ibi spargerent semen, prope aberant à Portu Dunkercano, cum fecere naufragium: nonnullos tabula seruauit, & omnium primarium, quem Dunckerke littus iam tenentem, subit cogitatio, diuinitus utique iniecta, Deum forsitan eo naufragio ingratam sibi profectiōnem illam damnare. Hæc cogitanti repente vir adstat (è Cælitibus unus) candido habitu, eoque Monastico: Et quod tu (inquit) amice animo verfas, id verum puta, ingratum hoc iter Deo est. Hæc tibi indicasse sit satis. Perge porro Antuerpiam ad Societatis IESV Patres, illos interroga, & sequere, ad veram enim te ducent fidem. Ergo Antuerpiam ille delatus, nihil quidquam prius habuit, quàm diuertere ad Societatis domum: ubi succedente mox graui morbo, ad extrema perductus, baptismum cum fletu flagitat, & ablutus sacro fonte, & quasi iam vita dignus conualescit: moxque ad exemplum Pauli, Socios illos suos, aliosque eiusdem sectæ, asseclas oppugnare aggressus, & fidem predicare Romanam, præterita animorum damna lucro maiore pensauit. Ita apud Imag. citat. 1. sac. Soc. lib. 6. fol. 794.

A Cælite
quodam
vera fidei
ductrix
asseritur.

Et à proximo-
rum
cura, lau-
datur.

6. AB ALTERO: Qui clausis cubiculi ianuis, cuidam de Societate Carthusiane deliberanti apparens, dixit: Tu quidem Carthusianus si eris, salutem tuam consules, sed ubi futurus est proximus? Sic in Annal. Societ. anno 1604. fol. mibi 435.